frequenter exhibuit. Sed ut salubrem magis quam am-
bitiosum principem scires: querentem de inopia et
caritate vini populum severissima coercuit vo-
ce: satis provisum dicens a genero suo Agrippa
perductis in urbem pluribus aquis ne homines sitirent.
Regna quibus belli iure potitus est preter pau-
ca: aut eisdem quibus ademerat reddidit aut
alienigenis contribuit. Reges socios etiam inter
semetipsos mutuis necessitudinibus iunxit:
promptissimus affinitatis cuiusque atque amicitie
conciliator et fautor. Plurimorum liberos et educa-
vit simul cum suis et instituit. Clementie eius civi-
litatisque multa et magna documenta sunt.
Cum ab emilio eliano inter cetera crimina vel
maxime obiceretur quod male opinari de cesare

filios suos populo commendavit: ut non adiecerit si me-
ruerint. Eisdem pretextatis adhuc assurrectum ab
universis in theatro et a stantibus plausum
gravissime questus est. Ita amicos magnos et
potentes in civitate esse voluit: ut tamen pari
iure essent quo ceteri legibusque iudiciariis eque
tenerentur. Redeuntem e provincia: non solum
faustis ominibus sed et modulatis carminibus prose-
quebantur. Observatum etiam est ne quotiens introiret ur-
bem supplicium de quoquam sumeretur. Patris patrie
cognomen universi repentino maximoque consensu
detulerunt ei. Nonnulli patrum familiarum testamen-
to caverunt: ut ab heredibus suis prelato titulo
victime in capitolium ducerentur votumque pro se
solveretur quod superstitem augustum reliquissent. Re

License: public_domain – Brugge, Stads- en O.C.M.W.-archief Brugge, reeks 538: Fragmenten van handschriften, nr. 37, fol. [1b]r – Vincentius Bellovacensis, <i>Speculum historiale</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-a3wp/9756/71117)